

Castri Kemlek ab olim exemptos et libertatos fuisse comperisset: Ideo fidelitati praefati Ladislai Ducis S. Sabae earundem Litterarum suarum serie firmiter mandasset: Quatenus a tunc in posterum praefatos Nobiles contra praescriptas eorum Libertates et Jura ad solutionem huiusmodi Censuum seu taxarum arctare vel compellere vel eos propterea in personis rebusque et Bonis eorum quibusvis impedire, molestare, seu quovis modo damnificare nusquam et nequaquam praesumeret, nec esset ausus modo aliquali. Alioquin comiserat et earundem serie strictius comisit fidelibus suis Banis vel Vice Banis praescripti Regni sui Sclavoniae, tunc constitutis et in futurum constituendis, ut ipsi annotatos Nobiles penes huiusmodi libertates eorum contra ipsum Ducem tueri, protegere et defendere ac indemniter manutenere deberent; Autoritate sua ipsis in hac parte attributa et iustitia mediante. Haec autem voluisset etiam per futuros possessores eiusdem Castri Kemlek firmiter observari. Tertia vero earundem, puta antefati condam Ulrici Ciliae Comitis et Regni Sclavoniae Bani Littera, sub appendenti Sigillo eiusdem, Crisii sexto die diei feriae secundae proximae post Octavas festi beati Michaelis Archangeli in Anno Domini 1449 edita, habens in se approbative tenorem quarundam Litterarum Dominorum Praelatorum, Baronum et Procerum Regni Hungariae universorum, similiter privilegialium, hic Budae tertio die feriae secundae proximae post festum Beati Petri et Pauli Apostolorum in Congregatione scilicet generali eorum existentium, in dicto Anno Domini 1449 emanata, inter caetera specificabat. Quod licet alias quondam Dominus Benedictus Episcopus Ecclesiae Zagrabiensis praefatos Nobiles alias Castrenses ad solutionem decimarum compellere et adstringere voluerit, Tamen quia iidem Nobiles per praefatum quondam Sigismundum Regem a praescripto conditionario nexu et iugo servitutis modo praenarato exempti et libertati extitissent; Idem etiam quondam Dominus Sigismundus Rex eosdem Nobiles et eorum posteros omnibus privilegiis, gratiis et exemptionibus et libertatibus ad instar caeterorum Regni Sclavoniae Nobilium perpetuis temporibus frui et gaudere gratiose permisisset, Ideo sicuti, caeteri veri Nobiles Regnorum Hungariae et Sclavoniae eorum antiqua libertate a Divis Regibus Hungariae eis gratiose concessa, a solutione decimarum exempti et supportati fuissent: sic et ipsi Nobiles alias Castrenses maioris Kemlek ab omni solutione Decimarum praedictarum ipsi quondam Domino Benedicto Episcopo Ecclesiae Zagrabiensis et suis successoribus fienda, libertasset et exonerasset et eadem libertate, qua veri Nobiles dictorum Regnorum Hungariae et Sclavoniae frui et gaudere consveti fuissent, ipsi Nobiles et eorum universa posteritas uti et frui debere, nec unquam ad solutionem praescriptarum decimarum quoad personas et Curias ac Domos ipsorum proprias, demptis Jobbagyonibus ipsorum, per praefatum quondam Dominum Benedictum Episcopum eiusque successores dictae Ecclesiae Zagrabiensis Episcopos compelli et arctari posse vel debere judicialiter decrevisset. Quibus exhibitis, praefati Procuratores dictorum Nobilium Actores eisdem per Nos in praemissis juris aequitatem postularunt impertiri. Quo audito Emericus de Reche, pro memorato Andrea Both de Bayna, cum praefati Domini nostri Regis Litteris procuratoriis nostram exurgens in praesentiam, in Contrarium praemissorum Octo Litteras, unam scilicet dicti quondam Domini Sigismundi Regis privilegialem pariter et confirmatoriam et aliam quondam Domini Mathiae Regis praeceptoriam, tertiam vero Capituli Ecclesiae Zagrabiensis fassionalem, quartam autem quondam Mathiae de Boszna